

1

# RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Ad

Exeqvias

V I R I

*Nobilis, Amplissimi & Consultissimi*

Dn. JOHANNIS SCHILTERI,

Jcti famigeratissimi, Dicasterii provincialis  
Elect. & Duc. Sax. & Consistorii Eccl. Assessoris &  
Scabinatus Elect. Senioris longè meri-  
tissimi

*Cives Academicos*

post III. pom.

*Invitat.*



Biogr. erud.

D. 1664/16

*Vitt. End. sing. - Vol. Sohn - Schm*





Irum sapientem propriùs intuendum exhiburus *Syr. c. 27.*  
Vir Sapiens, Oculos, Cor & Os ipsius velut in *37.*  
tabella spectanda nobis sistit. Oculos, cùm  
longius, qvàm septem in altissimis speculis po-  
sitost excubitores, prospicere dicit. Ad evitanda pericula,  
incursiones præsertim hostiles, in editissimis locis turre, *l. 16. Eth.*  
aut speculæ loca circumiacentia longè latèq; detegentes  
extruuntur (cujusmodi passim in Thuringia ex intestinis  
bellis adhuc residuæ peregrinantium oculis obversantur)  
ut, si qvid ingruere velit periculi, maturius prævideri, de-  
clinari, & sic tela prævisa vitari queant. Vir sapiens,  
*c. II.*  
omnia tñs èμπειρias, ut Philosophus loquitur, habens  
& tot casibus exercitus ex præteritis futura colligit, si qvid  
in Rempublicam commodi, aut periculi emergere potest,  
Prometheus eminus prospicit, & rectius multoties oculis  
intellectus, qvàm speculator in altissima turri constitutus  
oculis corporis, de rebus procul dissitis judicat. Cumq;  
centum doctum hominum consilia vincat una Dea for-  
tuna, si non cadit id, qvod jaetu opus est, arte id ipsum  
corrigit. Cor Sapientis spectandum nobis exhibet, cum  
os in corde, non cor in ore habere, dicit. Cor in ore ha-  
bet, qui qvicq; in buccam venit futiliter evomit, aut  
plenus rimarum hâc atq; illac perfluit, sed os in corde  
habet, qui priusq; loqvatur, senatum in corde cogit,  
& νγνεχως ad aurificis stateram verba singula, præsertim  
si res magnas, ut vitam & fortunas hominum concernant,  
appendit. Os præterea nobis intuendum sistit, cùm vivæ  
scatebræ illud comparat, verba vero stultorum ædibus col-  
lapsis, ubi secundum Homeri versiculum

Πόλη

Πόμα δ' ἀνατα, κατατα, παίσατα, δόχμια δ' ἥλιθον  
assimilat. Scatebrâ vivâ, in locis maximè calidioribus,  
ecqvid gratius? Non tantum sitim explet, sed & vires  
languentes refocillat. Ecqvid ordine pulchrius? Τὸ εὐ-  
σύντελον εὐσύντελον, & qvod ordine peragitur, magna cum  
utilitate solet esse coniunctum. Fundamentum autem  
his omnibus Vir Sapiens pietatem substernit, ut astutiam,  
qvæ cadit etiam in malos, à vera sapientia limitibus accu-  
ratis distinguat. Id qvod non Psaltes tantum & Regum  
sapientissimus, initium sapientiæ timorem D O M I N I con-  
stituentes, sed & gentiles sub Monarchia secunda(ut cum  
gentilibus Syracides habet communia qvàm plurima) i-  
psum docere possunt. Τὸ σοφὸν, & σοφία, dicit Euripi-  
des, cuius singula verba singula censet oracula Cicero:  
ἀδύτατον φρόνιμον εἶναι μή ὅτα αγαθὸν, in Ethicis  
Philosophus scriptum reliquit. Utut enim callidus &  
astutus consilium ὁρθὸν, qvod satis aptum est ad conse-  
qendum finem suppeditare queat, si tamen hoc ipsum  
non simul sit καλόν, honestati & conscientiæ congruum,  
à Viro prudente profectū haberi ac dici nullatenus potest.  
Vir ejusmodi cum thesaurus sit ingens & κειμηλίον ma-  
ximi faciendum, jactura illius, præsertim his mundi feci-  
bus, ubi rarior avis existit, acerbissimè ferenda, ut exemplo  
nobis esse potest impræsentiarum Vir Nobilis, Amplissi-  
mus & Consultissimus Dn. JOHANNES SCHILTERUS, J Ctus  
ā multo tempore famigeratissimus, Dicasterii provincialis  
supremi ut & Consistorii Electoralis & Ducalis Assessor  
gravissimus, Scabinatus El. Senior Venerandus, Vir de  
publico longè meritissimus, qvi, cùm aliorum usibus ser-  
viens se metipsum consumserit, septuagenario proximus nu-  
dius

Psalm. iii.

Prov. 1.

I. 116. epI.

I. 6. c. 5.

dius quintus, ipso pœnitentiali die, vitani cum morte, verius mortem cum vita sempiterna commutavit. Oculos mentis in hoc Viro sapientissimo si spectes, septem in speculis altissimis positos excubidores acie superabat. Si Cor, omnigena eruditione refertissimum, ex quo, velut ex Ica- tebra viva tot promanabant oracula, possidebat. Qvibus ipsis pietas & edecumata probitas, τὸ σοφὸν & τὸ φίαν fatis evidenter distinguentes, fundamenta supponebantur. Paucis: Erat, ut à magno Viro ipsi quondam fuit accentū, Juris Consulti flos & imago pii.

Ecquis itaq; tanti thesauri jacturam non acerbè ferret? ecquis fusissimis lachrymis deperditum bono publico tam pretiosum καιμηλιον non prosequeretur? Sed ipsi Beatisimo SCHILTERO à tot jugis exoptatam liberationem, à tot laboribus concatenatis requiem, à tot cumulatis molestiis respirationem non invidemus, quin potius, ut suo jure meretur, supremis ipsius honoribus litantes qvā decenter impensum vitae pensum absolverit, hīc adumbremus, & signata pietatis, eruditionis multiplicis & variarum virtutum vestigia posteritati ad honorum fastigia contendenti hoc exequiarum die velut indice digito comonstremus.

Ortum ex antiquissima & per sesquiculum in hoc loco florentissima SCHILTERORUM familia, per affinitates in familias etiam nobilissimas inserta, superioris seculi præcipitantis anno 95. ipsis Nonis Quintilis hic Lipsiæ traxit. Patrem coluit Virum Consultissimum, prudentissimum & integritate vitae nemini secundum Dn. M. JOHANNEM SCHILTERUM, Senatorem Reip. oppidanæ spectatissimum, causarum Patronum dexterum, Matrem sui sexus qvā pietatum, qvā virtutum muliebrium concentum speculum tertissimum MARGARITAM Dn. MARCI Martens Antorpensis

sis' qvi propter inquisitionem Hispanicam locum migravit, & ex Belgio Lipsiam se contulit) relictam filiam. Per φωτισμὸν CHRISTO & Ecclesiæ insertus, & gratiose JOHANNIS nomine insignitus à teneris, qvod ajunt, unguiculis pietatis & virtutum lacte fuit nutritus. Sed remoram educationi accuratisimæ Domini Parentis obitus in annum 97. seculi superioris incidens, cùm Beatusimus noster vix bimulus esset, injecit. Unde factum, ut educationis oneri, aliis humeros subducentibus, mater vidua sola propemodum succollare cogeretur. Verum enim verò qvi se Patrem orphanorum futurum promiserat, & hoc organon magnis usibns ab utero Matris destinaverat, Dn. Patruum Virum Maximè Reverendū, Amplissimum & Excellentissimum Dn. ZACHARIAM SCHILTERUM, Doctorem Theologum de CHRISTI Ecclesia meritisimum, Fac. Theol. Seniorem, Prof. P. Canonicum Misnensem, Consistorii Eccl. Assessorem, Collegii majoris Collegiatum, Acad. Decemvirum, in posteritate sua felicissimum, qvi Patris defuncti locum sustineat, surrogat. Hic ipse, cùm Θύεσαλον ad studia deprehenderet Beatusimus nostrum, Praeceptoribus doctissimis eundem concredit, & ne quid solidæ deeslet educationi, gnaviter inspiciens hebdomade qvâvis privatum examen instituit, benedictione paternâ, qvæ fructibus suis non caruit, semper adjectâ.

Sed, cùm novenni, anno sc. currentis seculi quartō, & hic Patronus per beatam analysin Ipsí subtraheretur, divinâ providentiâ datus est optio Vir Nobilissimus, Magnificus & Consultissimus Dn. GABRIEL TÜNTZELIUS, magni nominis Juris Consultus, Consiliarius tandem, cùm prius aliis Sax. Ducibus consiliis suis præstò fuisset, Electoralis intimus, Matris viduæ tum temporis Curator, & per matrimonium cùm filia D. ZACHARIAE SCHILTERI factus Affinis,

Affinis, cum quo socias operas Vir itidem Magnificus,  
Nobilis & Amplissimus, Dn. SIGISMUNDUS FINCKELTHU-  
SIUS Senior, Jctus celeberrimus, Facult. Juridicæ Ordina-  
rius, Decretalium Professor Publ. Dicasterii supremi, Con-  
fessorii & Scabinatus Assessor, Canonicus Martisburgen-  
sis, Ducalis Collegii Collegiatus, Acad. Decemvir & Reip.  
patriæ Consul meritissimus, necessitudinis vinculo & ipse  
*τῷ μακαρίτη* nostro devinctus junxit. His nihil prius,  
nihil fuit antiquius, quam ut Beatisimus noster scopum  
præfixum feliciter assequeretur, id quod etiam gratis si-  
mus semper agnovit, & memoriā nunquam excidere  
passus fuit. Probè itaq; studiorum suorum fundamen-  
tis jactis, cursu Philosophico absoluto, & degustatis ju-  
rium initiis à Præceptore suo, cui nunquam non multa se-  
debere fassus fuit, Dn. M. JOHANNE BENEDICTO  
ATHENÆO, J. U. Cand. de meliore commendatus  
Amplissimo & Consultissimo Viro Dn. Doct. VVIL-  
HELMO, SMUCCIO, Prof. P. Facult. Juridicæ Assesso-  
ri & Ducalis Collegii Collegiato meritissimo privatas  
hujus Scholas per triennium frequentavit, & ingenii vela-  
in istis pandens progressus ad exoptatam metam non con-  
temnendos fecit. In prælectionibus autem publicis Dn. D.  
FINCKELTHUSIO & prædicto Dn. D. SMUCCIO usq; ad  
annum currentis seculi vigesimum primum induulso  
nexu adhæsit, diem se perdidisse ratus, in qua vacivas au-  
rium ædes tantis Præceptoribus non locasset. Ne vero  
in gleba patria consenseret, sed alias etiam Academias  
salutaret, anno jam dicto 21. Salanam inclytam accessit,  
& ibidem ab ore magnorum Jure Consultorium Dn. OR-  
TOLPHI FOMANNI, Fac. Jur. Ordinarii Dn. DOMI-  
NICI ARUMÆI, Dn. VALENTINI RIMERI, Dn.  
PETRI THEODORICI, Affinis, Hospitis & Consalini,

nec

nec non IULII MARCI pendens eruditioni suæ juridicæ  
incrementa luculentissima qvæsivit. Cum vero sumtus  
ipsi defuerent, prævia commendatione Dn. D. JULII  
MARCI filio Perqvam Reverendi, Nobilissimi & Strenui  
Dn WOLFGANGI à Episnase/ Canonici & Subsenioris  
Magdeburgici Ephorius additus Academiam hanc repe-  
tiit, & inde Argentoratum concesit in exteris regiones  
cum sibi concredito excusiones facturus, nisi hostiles in  
Archи-Ptæsulatum Parthenopolitanum ingressus Ligistici  
utrisq; obstaculo fuissent. Qvare anno 27. domum re-  
dux factus. cùm prius solenni disputatione de jure sepul-  
turæ sub præsidio Dn. D. FINCKELTHUSII habitâ, vadum  
famæ tentasset, jura in scholis deglutita in succum &  
sanguinem per praxin forensem convertere de consilio  
Patronorum Dn D. TÜNZFLII & Dn. D. FINCKELTHUSII  
decreverat, in amicitiam intimorem Virorum Consultis-  
simorum Dn. D. JOHANNIS RENTZELII & Dn. D. CASPA-  
RIS ZIGLERI Practicorum tum temporis primæ notæ pene-  
travit, &, ut viam sibi faciliorem ad præfixum scopum  
pararet, gradum Doctoris in Academia Altorphina de-  
center ambiit, quem etiam anno 30 labentis seculi tertio  
Non. Oct. summa cum laude, honorumq; applausu  
ibidem obtinuit. Non multum temporis hinc abiit, cùm  
inter Advocatos Curiæ provincialis supremæ, partes suas  
Dn. D. JOHANNE RENTZELIO aliis cedente, Serenissimi E-  
lectoris Sax. clementiâ seqq. 31. anno locum conseqvere-  
tur. Postqvam autem favorem insignem cum honoris  
præfatione dicti Viri Amplissimi Dn. D. JOHANNIS REN-  
TZELII, ὁ Ἐφονιά noster plus fatis expertus fuisset,  
præmissis præmittendis, ardentibus precibus & consensu  
Matris in vivis etiamnum existentis, fidem conjugalem  
filiæ ipsius, Virginis tum temporis primiceriæ, virtutum  
nomini

nomini carissimo ANNÆ MARIÆ anno 31. mense Aprili  
dedit, qvæ morte Domini Soceri & obsidione urbis Ligi-  
stica interveniente, per benedictionem Ecclesiasticam  
mense Novembri adulto istius anni fuit consummata.  
Ut verò dulcissimus inter duos hosce conjuges fuit ani-  
morum nexus, & harmonia συζυγιάς suavissima: Sic  
lecti pignoribus quatuor, uno masculo JOHANNE BEN-  
JAMIN & tribus fæmellis MARGARITA & ANNA MARIA, unâ  
vero in partu extinctâ conjugalis hic amor fuit obsigna-  
tus. MARGARITA qvidem obitu suo Dn. Parentem ante-  
vertit, sed luctum exinde natum resarserunt gaudia, qui-  
bus perfusus fuit, cum filius natu major Vir Perqvām Re-  
verendus & Clarissimus Dn. JOHANNES BENJAMIN non  
taritum Magisterii titulo cum laude insigniretur, sed & ha-  
bitis tot in Theologia speciminibus publicis, æmulus Dn.  
Patrui magni, Candidatis in hac Facult. accenseretur, ad  
spartam Ecclesiasticam Numburgi promoveretur, & Vir-  
ginum unioni MARIÆ ELISABETHÆ, Dn. CHRISTOPHORI  
WOLFFII, Senatoris istius loci prudentissimi & Pharma-  
copœi nominatissimi filiæ Maritus anno superiori adde-  
retur, Filia verò virtutum Icon & gratiarum compendium  
ANNA MARIA Viro Nobili, Amplissimo & Consultissimo  
D. DAVIDI LINDNERO, J. U. Doctori præcellentissimo,  
Dicasterii provincialis Elector. & Ducalis Sax. Advoca-  
to, nec non Consistorii Ecclesiastici Assessori benè me-  
rentissimo, (ex qva nepotes duos JOHANNEM DAVIDEM  
JOHANNEM GODOFREDUM, utrumq; ad æterna gau-  
dia præmissum vidit) anno 59. hujus seculi, medio Au-  
gusti, jugalis cederet. Cùm vero per acerbam διχελο-  
μίας connubii prioris 3. Id. Maji anno 40. in viduorum  
statum miserum redigeretur, rebus suis Oeconomicis non

an 12

B

aliter

aliter poscentibus, præviâ divini Numinis invocatione,  
ad vota secunda transiit, & anno seculi labentis 41. sexto  
Non. Augusti Fœminam virtutum encomiis commenda-  
tissimam, sui sexus & statûs Ornamentum MAGDALENAM  
Dn. HEINRICI SCHWEIKARTI, Senatoris Lips. meritissimi  
relictam viduam συζύγον την οπίλησεως sibi junxit, ex qua inter αι.  
unus sinceræ per 23. annos contentiones filio lo-  
unico JOHANNE CASPARO, qui tamen anno 49 & ipse  
Parentibus ad æterna gaudia prodromus in fata concessit,  
mactus fuit. Officia reliqua quod concernit, præter Ad-  
vocaturam in Curia provinciali, de qua diximus, post o-  
bitum Dn. D. ANDREÆ SCHNEIDERI anno 28. locum in  
Scabinatu Elector. post resignationem a. Dn. D. SAMUE-  
LIS MOSBACH II locum in Consistorio Eccl. anno 47.  
Senioratum in Scabinatu Elect. anno 53. tandem inter  
Assessores Curiæ provincialis anno 54. locum obtinuit.  
Has sibi demandatas provincias ita obivit, ut superiori-  
bus fidem, paribus amorem, inferioribus serviendi prom-  
ptitudinem abunde satis probaret.

In vita reliqua conversationi bonæ operam dedit,  
congregationibus sacris agglutinatus fidei suæ nutrimen-  
ta ex auditu verbi & crebro mysteriorum usu quæsivit.  
fontes suos foras derivavit, Matri carissimæ quâ decet  
ac par est, obedientia filiali nunquam non assurrexit ipsiq;  
liberaliter prospexit, utq; domi sacris etiam vacaret, ex-  
quisitissimam librorum Theologicorum supellecilem sibi  
comparavit, crucis tessera, temporibus præcipue bellicis  
notatus & calamitatibus domesticis exercitus patientia  
callum duxit, & animo forti calamitates quasvis fregit,  
in DEO spem omnem fixam habuit Symboli vice ore ac  
animo semper volvens: Non confundar, quia CHRI-  
STUS.

STUS spes mea est. Vitæ finem, præter senectutem,  
colica & apoplexia, quâ tactus fuit ante biennium accele-  
rarunt. Qvanticumvis autem quadantenus restitutus offi-  
ciis adhuc satis facere potuerit, ante bimestre tamen spacium  
cotici dolores insultus repetierunt, qvibns vires, superve-  
niente præsertim ἀνογεξιᾳ & ἀγευπνίᾳ, sensim attri-  
tæ & medicamentorum vis elusa fuit. Tertiò Jd. curren-  
tis post alvi dejectionem motus epileptici non fallaces ad  
beatam analysin anteambulones, comparuere, qvām eti-  
am Salvatoris merito unicè nix, desiderio desideravit, do-  
nec tandem votorum compos& velut in dulcem declinans  
lumina somnum, postqvam benedictionē Ecclesiasticam  
à Dn. Confessario accepisset, & in hac scena mundana 69  
annos, servisse mensurni dēmto, personam suam decenter  
egisset, nono Calend. Quintilis circa secundam matuti-  
nam in manus Salvatotis Spiritum suum exhalavit. Ita  
qvidem hoc justitiæ scuto privamur, sed ossa ipsius partim  
famâ post huma, partim spe lœtæ resurrectionis adhuc vi-  
rescunt & virescent. Brevi erit, cùm justitiæ Doctor  
hic fulgebit instar stellarum in perpetuas æternitates. Nos  
interim qvod mortale nobis reliquit, Sp. S. habitaculum  
post auditam III. pomeridianam apud communem ma-  
trem deponemus, cuius conductui ut freqventes intersint  
nostri, & ita συμπαθεῖσι suam erga lugentes, erga fa-  
miliam honoratissimam observantiam declarent,  
præsentibus jubemus. P. P. V. Cal. Julii anno  
M DC LXIV.

Literis Colerianis.

卷之三